



**Juris Canonici Theoria Et Praxis, Ad Forum Tam
Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum,
tum Seculare**

Cabassut, Jean

Lugduni, 1698

Ementissimo Domino Hieronymo Grimaldo, S. R. E. Cardinali,
Aquarum-Sextiarum Archiepiscopo: Joannes Cabassutius Aquisextiensis,
Oratorii Domini nostri Jesu Presbyter S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62355](#)



EMINENTISSIMO DOMINO
HIERONYMO
GRIMALDO,
S.R.E.CARDINALI,

Aquarum - Sextiarum Archiepiscopo :

JOANNES CABASSUTIUS Aquisextiensis,
Oratorii Domini nostri Iesu Presbyter S. D.



TSI commune omnium Christianam Religionem profitentium officium in imitatione Christi consistat, cuius Apostolus nos adhortatur ut simus imitatores sicut filii charissimi; Sanctusque Ecclesiae Doctor Gregorius Nyssenus toto suo ad Harmonium libro explorans quidnam rei sit Christianismus, nihil aliud esse commonestret quam imitationem Christi Domini: hoc tamen officio arctius praeceteris adstringuntur illi

ā 2 quos

quos, ut Divinæ Scripturæ verbis utar, posuit Spiritus
Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam ac-
quisivit sanguine suo. Horum quippe vitam necesse
est specimen esse Christianæ perfectionis, & lucernæ
instar cæteris omnibus qui in domo Dei sunt præful-
gere, ut subditi horum Fideles eorum imitatione mo-
res suos ad exemplum Christi sanctissimè exigant, sit
que spectabilis inter eos Præsul, tanquam supremi
Pastorum Principis, nostræque omnium salutis Au-
thoris spirans ac vivens effigies. Hoc ipsum non ina-
nis jactantiæ, sed Divini Spiritus impulsu de se præ-
dicat Gentium Apostolus: *Imitatores mei estote, sicut*
& ego Christi. Hanc Tibi mentem insidere, hoc Te
duci proposito imitandi Jesu Christi norunt quotquot
vitæ tuæ rationem perspectam habent; hoc mores,
hoc actus tui, hoc instituta tua palam faciunt. Hoc
solo spiritu ductus Ecclesiæ cultui & obsequiis vitam
omnem & labores tuos consecrasti, pro qua tuenda
& ornanda perillustres diversis temporibus tum Lega-
tiones, tum Praefecturas magnâ solicitudinis, religio-
nis & prudentiæ laude obivisti. Summos etiam Pon-
tifices indefessâ operâ, sapientissimis consiliis & labo-
riosis officiis demeruisti, tum ante, tum post delatam
Tibi ob insignia merita Cardinalis Purpuram. In istis
quidem omnibus à Te gestis solam Dei gloriam ex-
petivisti; humanæ verò gloriae nulla Tibi cupiditas
incepsit. Exploratum tamen est quod veteres Sapientes
prodidere, gloriam esse umbræ persimilem, quæ inse-
quitur fugientes, cum tamen fugiat in sequentes. Ita
enim factum est, ut tua inter homines laus & perho-

norifica fama quam despexisti, virtutis tuæ comes &
assecla fuerit, atque etiam invitus stabile fundamen-
tum ad gloriam & dignitatem Nominis tui latius pro-
pagandam & altius extruendam subjeceris. Attamen
in tanta negotiorum Tibi incumbentium mole mens
tua sublimis ad unicum propositum sibi finem Deum
incessanter aspirabat, & ardentí affectu illas mysticæ
Columbae pennis cum Regio Psalte desiderabat, qui-
bus sublevata, ab omnium aspectabilium rerum so-
licitudine libera, convolans ad Deum, ei soli tandem
vacaret, in eoque deinceps conquiesceret. Atque hoc
beneficium propitio votis tuis Numine consequutus
es amplissimum, ex quo nostræ hujus Provinciæ, quæ
prima Galliarum Christianæ Fidei documenta à pri-
mis ipsis Domini nostri discipulis excepit, creatus es
Archiepiscopus. Itaque stationi huic illigatus, justam-
que obtendens residendi necessitatem, tumultuosis
Aulae tum Romani Pontificis, tum Christianissimi Re-
gis fluctibus Te subduxisti, ut in isto tranquillo portu
conquiesceres soli Deo vacans, & commissi Tibi gre-
gis saluti prospiciens. Quanto verò studio ferrebat in
Te zelus domus Dei, ejusque quam decet sanctitudo
in longitudinem dierum, decorum diligas, testatur tuis
impensis fundatum illud celebratissimum Aquense Se-
minarium, ex quo velut ex Argonautarum nave, aut
equo Trojano, tot ut ita dicam, Heroës Sacré Militiæ
addicti prodeunt. Testantur insuper illæ Sacerdotum
à Te institutæ per universam Diœcesim excusiones,
classicum adversùs omnia peccata proclamantium,
quorum indefesso labore flagitia quæque stirpitùs evel-

23 luntur

Iuntur, ignorantia populorum discutitur, similitates
extinguntur, sacrilegæ confessiones reparantur, &
omnis plebs ad meliorem frugem revocatur. Testan-
tur etiam eximiæ tuæ illæ Sanctiones, quibus Eccle-
siæ Sanctæ disciplinam undeque suffulisti. Testa-
tur & illa nunquam satis laudata provisio tua, per
quam videmus totâ Dioecesis amplitudine ad singu-
las metrocomias Clericorum concursus statim hebdo-
madae diebus, ex circumiacentibus viciis & minoribus
oppidis ad Ecclesiasticas collationes & dissertationes,
quibus præficiuntur delecti Presbyteri virtutibus &
eruditione insignes. Quàm est speciosa, Te duce, Te
auspice hujusce Dioecesis tuæ facies? Lubet hoc loco
cum Regio Vate illo divinitus inspirato sic exclamare:
*Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, tentoria tua
Isræl! ut valles nemorosa, ut horti juxta fluvios irri-
gui, ut tabernacula qua fixit Dominus, quasi cedri
prope aquas?* His vero tuis sanctissimis institutis, quæ
Tibi ad perennem felicitatem viam muniunt, Te ve-
rum probas imitatorem Jesu Christi, ad hoc unum
intenti ut nos sanctificaret, exhiberetque ipse sibi Ec-
clesiam gloriosam, non habentem maculam, neque
rugam, aut aliud hujusmodi; sed ut sit sancta & imma-
culata. Ad istam gregis tui sub Te optimo & aman-
tissimo Præsule cumulandam felicitatem quamplu-
rimi Tibi subditi Sacerdotes creditas sibi à Deo animi
facultates & spiritualia dona, Te hortatore conferunt.
In his ego, tametsi aliorum meritis impar, sperans
Tibi non injucundum fore, quidquid in me studio-
rum

rum inest, in Tui obsequium & Cleri utilitatem jam-
pridem impendere institui. Isto ductus affectu ante
aliquot annos Notitiam Conciliorum sub Illustris No-
minis tui præsidio edidi: deinde tuo jussu brevem de
Usuris tractationem; eodemque studio impulsus istam
Juris Canonici Theoriam & Praxim quantâ valui di-
ligentia contextam, tutelæ tuæ clypeo munitus, tuæ
benevolentiae dignatione fretus, tuis cohortationibus
excitatus, publicæ tandem luci permitto. Faxit Deus
ut iste labor eam quam intendo frugem pariat, tua-
que Eminentia ad gregis Dominici salutem diu perstet
incolumis.



AD